

ductum, & reuelata scœna nocturni flagitij, caupo ad supplicium adactus est.

QVIDAM.

PAUCA & breuia quæ restant, ascripti libris qui de somniis accuratissimè tractant, excerpta partim risus excitandi gratia, partim detegendæ interpretum fallaciæ, nequaquam prætereunda iudicauit. Somniauerat quidam ouum ex lectulo pendere, narrauit interpreti, respondit thesaurum esse sub lectulo, fodit ille, & aurum argento circumuolutum reperit, argentiq̃ue particulam iudicij suo misit. At ille facetissimus nugator: Nihil ne, inquit, de vitello: ex priori euentu secundum eliciens, vt non tantum ouo thesaurus, sed ouo simillimus thesaurus videretur ostensus. En fabellas in quibus & Philosophorum conueruntur ingenia: quàm multi ouum sine thesauro somniauerunt.

CURSOR QVIDAM.

CURSOR iturus ad Olympia, per noctem æstimauit curru quadriiugo vehi, Primo mane adiit interpretem: Et ille, Vinces, ait, id enim agilitas equorum & robur indicat. Idem somnium ad Antiphonem retulit, quem ex Graiis somniorum

rum